



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

VII. Utrum voluntas Angeli in statu puræ naturæ sit libera, quoad speciem
circa bonum, honestum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

uentitij posse plura sibi diligere, vel etiam alij. Sed hoc magis pertinet ad amorem electiuum, quam ad naturalem.

8. De modo intentionis, quidam dicunt Angelum magis diligere se, quam alios, & inter alios magis sibi similes, quam perfectiores, quia ad se magis inclinatur, & consequenter etiam ad illos, qui maiorem vnitatem cum illo habent, & in hac vnitatem naturalis hic amor fundatur. Sed in hac conditione amoris non existimo esse vllum ordinem, quia Angelus naturaliter inclinatur ad operandum toto suo conatu: dum autem operatur toto conatu, cum equali intentione operatur, & ideo non minori intentione diligit alios, quam se, nec inter alios magis similes, aut perfectos quam ceteros. Item variatio in intentione non sumitur ex obiecto, & consequenter, nec ex dignitate, vel alia conditione eius, sed sumitur ex conatu potentie, quae potest cum equali circa maius, & minus obiectum operari, & Angelus toto conatu operatur, quantum est ex se, nisi aliunde impediatur. In tertia item comparatione aliqui dicunt Angelum magis diligere similes, propter rationem factam, quibus fateri D. Thomas d. art. 4. ad 2. Sed oppositum fortasse probabilius est, quia perfectio obiecti maioris estimationis est: vnde cum dicit D. Thomas id magis amari, quod est simillius, intelligendum est ceteris paribus. Eo vel maxime quod iste amorita est naturalis, vt sit etiam rationalis: at secundum rectam rationem magis amandus est, qui est perfectior in natura, ergo ad hoc etiam ratio naturalis inclinatur. Denique potissima conuenientia inter Angelos est in gradu intellectus naturae, & secundum illum magis gaudet inferior societas superioris, quam equalis, & melius esse iudicat, vt ille existat, ergo naturaliter etiam magis ad illum inclinatur.

CAPVT VII.

Vtrum voluntas Angeli in sua pura natura spectata sit libera quoad specificationem inter bonum honestum, & malum illi contrarium, seu turpe; id est, an sit libera ad eligendum vtrumque, & ad peccandum contra rectitudinem naturalem.

1. IN superioribus capitulis explicui libertatem Angeli, vt opponitur necessitati quoad exercitium: & obiter aliquem modum necessitatis quoad specificationem maiorem, vel minorem attingimus, non tamen omnem indifferentiam voluntatis angelicae, nec necessitati quoad specificationem, oppositam satis declarauimus, & ideo aliquid in praesenti addere necesse est. In quo duo vt certa supponere possumus. Vnum est, dari in voluntate Angeli necessitatem aliquam quoad specificationem, vel simpliciter, vt circa bonum in communi, vel secundum quid, vt circa quaedam particularia bona de se valde connaturalia, seu conuenientia naturae, vt satis expositum est. Alterum est voluntatem Angeli esse liberam quoad specificationem, & omni modo, in dilectione boni honesti particularis, quando illud non est connaturale, nec ex peculiari naturae inclinatione procedit. Hoc enim genus indifferentiae, ac libertatis circa aliqua obiecta ad integram libertatem voluntatis necessarium est, ergo maxime circa bona honesta, quae sunt maxime propria voluntatis, vt voluntas est. Nam si inter haec bona huiusmodi indifferentiam non haberet, nulla esset ratio cur illam circa alia possideret. Denique a fortiori existendishoc amplius constat. Quin potius addimus, suppositum hoc verum esse, siue tale bonum ametur per modum finis particularis per se honesti, vt est contemplari, orare, benefacere alicui, vel quid simile, siue ametur tanquam me-

Suarez de Angelis.

dium vtile ad talem finem, quando inter plura talia media electio fit. Nam licet in hac electione maxime locum habeat absoluta indifferentia ab omni necessitate quoad specificationem, tam simpliciter, quam secundum quid, nihilominus eadem in intentione particularis finis inuenitur, quia in illa electio vnus praeter alio inuenitur, esto non sit propria electio propter aliud: quauis etiam haec virtute participetur, quatenus illud particulare bonum est pars boni communis, quia pars virtute propter totum amatur.

His ergo suppositis superest quaestio an voluntas Angeli sit ex natura sua omnino determinata quoad specificationem ad bonum honestum in communi, ac proinde non possit velle aliquid turpe relicto honesto, quod est quaerere, an voluntas Angeli natura sua deficere non possit in moribus, vt pura ratione naturali regulatur, nec peccare, sed sit a peccator, vt Graeci Patres vocant, id est, impeccabilis. Quam quaestionem solent tractare Theologi disputando de peccato Angelorum, quia vero communis est bonis Angelis, & ad naturalem eorum conditionem explicandam spectat, huius loci propria visus est. Quocirca maxime praeter oculis habendum est, hic non esse sermonem de Angelo in omni statu, nec de potestate peccandi contra praecipua supernaturalis ordinis, si ad illum eleuetur, nam de illo statu infra tractandum est, & nunc supponimus Angelos de facto potuisse sic peccare: nam multi peccauerunt, & reliqui non peccando meruerunt, vnde eandem potestatem peccandi habuerunt, quod de Angelis creatis est certum: quid vero de possibilibus creaturis dicendum sit, postea inquiremus. In praesenti autem loquimur de Angelo in sola, ac pura natura spectata, & per naturalem cognitionem ac rationem operante, de quo longe diuersa est ratio, quia naturalis cognitio est regula magis proportionata voluntati in sua natura spectata. Et in hoc puncto nihil est reuelatum, nec videtur aliquid certo colligi ex reuelatis, & ideo variae sunt Theologorum opiniones.

Prima affirmat esse natura sua ita rectum in naturalibus, vt in eo ordine deficere non possit peccando, aut eligendo turpe, relicto honesto, ac proinde inter bonum honestum, & contrarium malum esse determinatum ad vnum quoad specificationem. Ita opinatur Durand. in 2. dist. 5. q. 1. n. 16. & dist. 23. q. 1. n. 7. & 8. Sequitur Capreol. in 2. dist. 2. art. 3. ad argumenta Durandi, & Caiet. 1. p. quest. 63. art. 1. §. circa consequentiam, & idem sentit Ferrar. 3. contr. Gent. capit. 109. parum a principio, & inclinatur plures moderni interpretes D. Thomae. Et allegatur idem Doctor Sanctus. Quia in p. quest. 63. art. 1. in 3. argum. obiecerat, non posse Angelum peccare, quia naturaliter diligit Deum. Respondet autem, quia naturale quidem esse Angelo diligere Deum vt auctorem naturae, supernaturaliter autem conuerti ad Deum secundum quod est obiectum beatitudinis, a qua auertere potuit peccando. In qua solutione concedere videtur, non potuisse Angelum auertere a Deo, vt auctore naturae, ac proinde nec peccare in naturalibus. Et ita explicat in art. 3. peccatum Angeli per hoc, quod appetit vltimum finem, ad quem virtute suae naturae poterat peruenire, auertens suum appetitum a beatitudine supernaturali. Capreolus etiam illum allegat in q. 16. de verit. artic. 2. Ibi tamen solum explicat peccatum Angeli per ordinem ad diuinam regulam, a qua potuit deficere, quia potuit illam non considerare: non loquitur autem expresse de regula supernaturali, in solutione tamen ad 4. id indicat. Et eodem modo procedit 3. contr. Gent. capit. 110. respondendo ad argumenta cap. 108.

Ratione etiam fundatur haec sententia primo, quia voluntas non potest deficere peccando, nisi procedat in intellectu aliquis defectus erroris, vel inconsiderationis: sed in intellectu Angeli nullus defectus praecedere potest in cognitione rerum naturalium, ergo

Titulus quaestio simulatur.

Notandum pro expedienda quaestione.

3. Prima opinio affirmans.

4. Primum fundamentum proposita opinio.

posse in Angelo naturaliter inueniri. Prior explicatur, quia Angelus est capax directionum per regulam superioris voluntatis, vel Dei, vt est auctor naturae, vel superioris Angeli, vt indicat D. Thomas 3. contr. Gen. capit. 109. quia etiam inter Angelos est ordo subiectionis inferioris ad superiorem. Nec videtur esse supra ordinem naturalem, quod Deus imponat aliquod praeceptum positiuum Angelis, quasi constituentibus vnam rem publicam angelicam, cuius princeps esset Deus, etiam vt auctor naturae; & quod ordinem, ac subiectionem, & praelationem inter eos institueret, in ordine tantum ad finem naturalem, sine ordine gratiae, & gloriae supernaturalis, ergo pro libertate sua possent talia praecepta seruare, vel transgredi, eo ipso quod regulam extrinsecam suae voluntatis haberent, ad quam pro sua libertate possent conformari, vel ab ea desistere. Et eadem ratio est de ipsis praeceptis legis naturalis, nam illa etiam respectu cuiuscunque Angeli habent vim obligandi per modum legis, quatenus in voluntate diuina nituntur: sed Angelus potest non conformari huic regulae in volendo, nec illam suis actibus applicare, nihil enim est, quod illum ad hoc necessitet, ergo potest etiam pro libertate sua in obseruatione praeceptorum naturalium desicere.

9. Probatur quarto. Quarto probatur, quia sola libertas voluntatis creatae est sufficiens causa peccandi, sed hae libertas inuenitur in naturalibus, ergo illa sufficit, vt in illa etiam materia possit Angelus sibi restrictus peccare. Minor cum consequentia sunt notae. Maior probatur primo ex Hieronymo epistol. 146. ad Damasum de filio prod. circa finem dicente, Solus Deus est in quem peccatum non cadit, cetera cum sint liberi arbitrij in vtraque parte possunt suam seclere voluntatem, & Ambrosio lib. 5. de fide, capit. 6. Omnis creatura, inquit, mutabilis est, sed non mutabilis Dei filius. Omnis creatura accidentia boni, & mali recipit iuxta suam capacitatem naturae, eandemque decessionem sentit. Et similia repetit lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 4. Et August. lib. 11. de ciuit. cap. 1. & 6. ubi voluntatem creatam dicit esse mutabilem ad malum, eo ipso, quod de nihilo facta est, & hanc putat esse sufficientem rationem eiusmodi mutabilitatis. Et idem habet lib. 3. contra Maxim. capit. 12. & Anselm. lib. 2. cur Deus homo, capit. 10. & alij Patres, quos in lib. 7. in principio referemus. Haec autem ratio etiam habet locum in Angelo creato in puris naturalibus, quia esset ex nihilo factus, & haberet mutabilem libertatem.

Deccabilis fundamentum. Eiusq. Impugnatur primo. Item omnia media, in quibus nititur illud principium, quod libertas voluntatis creatae fit sufficiens principium peccandi, habent locum in ordine etiam naturali. Vnum est, quod voluntas facta ex nihilo, nec est regula suae actionis, & rectitudinis, neque habet infallibiliter coniunctam illam regulam. Quod est potissimum fundamentum, quo D. Thomas vtitur in hac materia, habetque locum in Angelo in pura natura condito, & ad finem naturalem ordinato. Nam quoad priorem partem manifestum est, Angelum nunquam esse sibi regulam, quia semper habet superiorem DEum, & quis non seipsum, sed DEum, vt finem vltimum suarum actionum respicere debet. Quoad alteram partem probatur, quia regula bene operandi est diuina voluntas, quam Angelus in pura natura sumptus, non necessario, nec semper haberet coniunctam. Dicit illam regulam esse remotam, proximam autem esse lumen rationis, per quod illa proponitur: & hanc regulam rationis semper esse Angelo coniunctam. Sed contra hoc est primo, quia licet sit semper coniuncta in actu primo, non tamen in actu secundo, & hoc satis est, vt sine tali regula in actu secundo applicata, possit Angelus operari, & consequenter desicere peccando. Et hoc etiam deducitur ex eo, quod Angelus est ex nihilo factus, nam inde habet quod non sit purus actus, & consequenter, vt non sit sem-

Suares de angelis.

per in actuali consideratione illius regulae, à qua suarum actionum honestas, & rectitudo pendet, & consequenter vt sine illius applicatione possit operari, ac subinde peccare.

Secundo hoc maxime vrgit in ordine mere naturali, quia licet diuina lex seu voluntas sit regula naturalis rectitudinis, non est tamen adaequata ratio volendi creatae voluntati. Nam potest moueri ad turbi volendum ex ratione proprii commodi, seu boni sibi conuenientis, in quam rationem potest Angelus maxime intendere, sed huic rationi potest esse coniuncta turpido, & defectio à diuina regula naturali, ergo potest Angelus pro suo arbitrio discedere à tali regula, seipsum inordinate amando, & volendo sibi aliqua bona sine regula honestatis. Tertio hac ratione potest Angelus peccare desicendo à supernaturali fine, & ordine, vt infra videbimus, sed non potest desicere à supernaturali rectitudine, quin simul à rectitudine naturali desiciat, quia postquam supernaturalis ordo sufficienter propositus est, ipsa ratio naturalis dicitur, non esse ab illo deuiandum. Vnde omne peccatum contra supernaturalem ordinem supponit, vel includit defectum aliquem in recto vsu naturalis rationis, & arbitrij, ergo eadem ratione potest idem defectus in latitudine finis naturalis committi, vel non plene considerando omnia necessaria ad honestatem, vel non recte eligendo, sequendo potius motum proprii commodi, quam iustitiam.

10. Secundo impugnatur. Tertio impugnatur.

Vltimo magis hoc declaratur soluendo motiua partis oppositae. Et in primis ad D. Thomam respondeo, in hoc puncto nunquam satis mentem suam explicasse: si autem considerentur rationes, & discursum, quibus ostendit Angelos potuisse peccare, tam in p. q. 63. a. 2. quam 3. contra Gen. 2. 109. & in q. 16. sententia de Malo, & alijs locis, reuera procedunt simpliciter de natura angelica secundum se spectata, & ex vi suae naturae imperfectionis. Aliquando vero explicat Thome in magis D. Thomas hanc potentiam peccandi Angelorum, per ordinem ad finem supernaturalem, quia specialiter loquitur de Angelis, prout de facto creati sunt, & à fine suo defecerunt: nunquam tamen huiusmodi Angelorum mutabilitatem ad illum statum, seu finem supernaturalem limitat.

11. Respondetur ad fundamentum contrarium in num. 4.

Ad primam rationem, Scotus & alij non admittunt illud principium, quod voluntas creatae non potest peccare, sine praecedere defectu in intellectu, quia stante quacunque consideratione in intellectu, extra visionem beatam voluntas non necessitat quoad exercitium ex inclinatione alienius particularis boni, & hoc videtur satis esse, vt possit peccare sine praui defectu intellectu, vel non eligendo quod debet, vel eligendo quod non debet. Quae sententia fortasse improbabilis non est. Sed quia contraria est magis recepta, & saltem loquendo moraliter, ita contingit, vt voluntas nunquam desiciat, nisi praui, vel concomitante defectu intellectu, illam communem sententiam admittimus, & dicimus posse Angelum intra ordinem naturalem aliquid velle cum defectu intellectus saltem actualis inconsiderationis. Quonia Angelus non omnia, quae potest considerare, semper actu considerat, neq. omnia, quae considerat cum aequali applicatione, & attentione considerat, quia totum hoc pendet ex libera eius voluntate, & ita potest magis, vel minus, vel plura, vel pauciora, de re quam cogitat considerare. Vnde non est necesse, vt quoties aliquid vult, vel operatur actu, consideret omnes rationes boni, aut mali, commodi, aut incommodi, quae in illo affectu, vel opere inueniri possunt. Quapropter argumentum illud potest fortius retorqueri. Nam Angelus considerata potentialitate sui intellectus in ordine ad actum secundum, & dependentiam, quam in applicatione illius habet à libera voluntate potest inconsiderate operari, ergo potest etiam peccare, sola eius naturali conditione spectata.

12. ad primam est argumentum contrarium in num. 4.



23.
Ad secundum.

Ad secundum de amore Dei super omnia respondemus negando assumptum, nam loquendo de amore Dei propter seipsum, seu amicitia excellentis, & super omnia, probabile non est Angelum ex natura sua necessitari ad huiusmodi amorem, præsertim quoad exercitium, ut supra probatum est in cap. 5. Et certe ratio illa, si valida esset, non solum probaret de peccato contra legem naturæ, sed absolute de omni peccato: quia simpliciter, & de omni peccato probabilissimum est, eum, qui actu eligit Deum super omnia ut auctorem naturæ, non posse simul illum grauius offendere sub quacunque ratione, quia talis amor repugnat omni peccato saltem ex eo capite, quod omne peccatum etiam si proxime sit contra ordinem supernaturalem, consequenter etiam est contra rationem naturalem: & quia nemo sua voluntate aueritur à fine supernaturali, quin etiam à naturali aueritur, ut ex 1. 2. suppono.

24.
Ad tertium.

Ad tertium sæpe respondet D. Thomas in citatis locis esse dissimilem rationem, nam corpora celestia non habent dominium suarum operationum, & ideo ab intrinseco non possunt deficere in suis operationibus, sicut possunt Angeli. Nihilominus addo, quia cæli entia creata sunt, etiam deficere posse modo agentibus naturalibus accommodato. Duplices enim operationes in cælis possunt considerari. Quædam ab ipsius actiue procedunt; & in his licet ex se non agant cum defectu, quia naturaliter agunt quantum possunt, & eorum virtus propter incorruptibilitatem non minuitur, nihilominus ex defectu materiæ, vel concursu, & oppositione aliarum causarum interdum deficient. Alia item sunt opera cælorum, ad quæ ipsi tantum passiuè se habent, quæ non sunt propria opera, sed motus eorum, & in his non habent ex se peculiarem determinationem, ut deficere possint, vel non possint, sed iuxta conditionem extrinsecam sui motoris aguntur. Et quia in eo motu à diuinæ providentiæ dispositione principaliter pendunt, ideo in eo motu non deficient. Nam Deus propter bonum vniuersi, ad quod illi motus ordinantur, ita illos disposuit, ut non deficient, nisi tempore, & modo ab ipso definito.

25.
Ad quartum, quid nonnulli respondeant.

Ad quartum, in quo sumitur, non implicare contradictionem dari creaturam intellectualem impeccabilem in naturalibus, quidam ex Scholasticis sub distinctione respondent. Dicunt enim posse Deum creare voluntatem sua natura determinatam ad vnum bonum volendum, quia non videtur implicare contradictionem, quod sit nostra voluntas est determinata ad bonum in communi, ita fiat aliqua determinata ad tale bonum in particulari, siue illud sit bonum honestum in communi, siue aliquod particulare. Et hoc modo concedunt, posse Deum facere creaturam intellectualem impeccabilem in naturalibus. De voluntate autem creata, & libera negant posse fieri impeccabilem, etiam in naturalibus. Ita distinguunt Gabr. & Maior. in 2. dist. 23. & sequitur Malon. supra. Mihi autem videtur esse inutilis distinctio: & in priori membro inuolui repugnantiam. Quia si creatura vere est rationalis, & intellectualis, voluntas eius necessario est natura sua libera: unde licet Deus per potentiam suam possit illam ab extrinseco determinare ad vnum, non potest facere, ut ex natura sua, & ab intrinseco sit ita determinata. Quia adæquata origo, & radix libertatis est intellectus, seu rationalis cognitio, ergo appetitus, qui sequitur rationem, naturaliter est vniuersalis, & indifferens ad omne bonum, ac subinde liber, ergo repugnat appetitum rationalem non esse natura sua liberum, & hoc probant omnia, quæ de libertate Angelorum cap. 2. diximus. Unde Damascenus & alij Patres ibi allegati hæc putant esse euidentem consecutionem, *Est rationalis, ergo libera.* Ad argumentum ergo negatur assumptum. Nam licet Deus possit facere Angelum, vel hominem,

Resolvitur.

qui ex gratia sit impeccabilis, vel nunquam peccet: non tamen qui ab intrinseca natura sit impeccabilis. Nec August. ibi citatus vsus illis verbis est, *ut peccare non possit, sed cautissime dixit, potuisse facere naturam, quæ nunquam velit peccare, & quæ peccare non peccare, & nihilominus peccare velit, & priori modo dicitur, fecisse illam in Angelis sanctis, posteriori autem in homine, & in cæteris Angelis: nunquam vero condixit naturam, quæ non possit peccare, ab illa, quæ potest.* Et quando ita distinxisset, sicut citat Magister, intelligendus esset, de natura, quæ per gratiam non possit peccare.

Secundo principaliter dicendum est, Angelos ita esse natura sua indifferentes inter bonum, & malum honestum, ut facile possint semper eligere, quod honestum est, ac subinde in materia naturali facile etiam possint per liberum arbitrium cum generali Dei concursu cauere omne tale peccatum. Nam (ut ex Nazianzeno oratione 3. contra Iulianum Elias Cretensis ait) *Angelus agere vertitur in vitium.* Ethoc probat fundamentum prioris opinionis. Nam Angelus in pura natura spectatus non dicitur passione, nec habet internam pugnam diuersorum appetituum, nec errore decipitur, facileque potest omnia considerare, quæ ad recte agendum sufficiunt, ergo potest etiam ille velle, & femel, ac iterum, & semper: quia non est illi difficilior perseverantia, seu multiplicata operatio vniformis, quam vnica, vel momentanea voluntas. Sed de hac re in materia de Gratia libr. 1. latius actum est, vbi de fundamentis illius sententiæ, scilicet necessitate cogitationis congruæ late diximus. Vbi ostendimus talem cogitationem congruam intra ordinem naturæ esse quidem beneficium naturale, non vero esse auxilium ad ordinem gratiæ pertinens. Nunc vero addo, speciale esse in Angelo, & in hoc hominem superare, quod Angelus, intra ordinem naturæ loquendo, potest in se excitare cogitationem sufficientem ad operandum, & per liberum arbitrium illi consentire, & consequenter facere; ut talis cogitatio congrua sit. Nam, ut supra dixi, vnique Angelo naturæ est seipsum actu semper cognoscere, & interiorum omnium speciebus, quas in se habet, & hac supposita naturali cognitione posse se libere ad hanc cogitationem, vel illam applicare, neque in hoc pendere ab extrinseca determinatione auctoris naturæ, sed ab intrinseco se determinare ad primam cogitationem non naturalem. Unde fit, ut consequenter possit voluntarie ab illa transire ad aliam, & ita perpetuo moueri per suas naturales facultates cum generali concursu DEI. Ergo in rigore nulla excitatione naturali indiget, quæ ipsius arbitrium antecedit, & omnino ab extrinseco sit, aut propriam rationem gratiæ etiam ordinis naturalis habere possit.

Declaratur, quia illa prima cogitatio, & intuitio sui ipsius non est beneficium distinctum à beneficio creationis, prout hoc includit omnia, quæ ipsam creationem naturaliter comitantur. Reliquæ vero cogitationes, quæ postea succedunt, omnes sunt voluntariæ. Quod si dicas, posse Deum alias bonas, & congruas cogitationes Angelo immittere, ut bonum morale ordinis naturalis operetur. Respondeo, posse quidem id facere, tamen illas cogitationes non esse simpliciter necessarias Angelo ad non peccandum intra naturæ ordinem, quia tam perfectus, & ordinatus in suis potentijs creatus est, ut si bene illis uti velit, possit sine naturali defectu id facere. Unde etiam addo, illud providentiæ genus, dæmonis scilicet, illas cogitationes libertatem eius præuenientes, non esse debitum naturæ angelicæ, nec in generalibus, nec in particulari spectata, ac proinde non dari tales cogitationes Angelis, nisi in ordine ad providentiam supernaturalem, & ordinis gratiæ, ut in lib. 5. & 6. dicemus. Nec Aug. d. 12. de ciu. c. 9. recte in contrarium allegat.

allegatur: tum quia loquitur de amore Dei, quo Angeli sanctificati sunt, qui amor est supernaturalis: tum quia etiam si abstracte, & generaliter intelligatur, verissime dicit omnem bonam voluntatem Angelis esse in eo à Deo factam, sed cum proportione: quia supernaturalis est à Deo ut auctore gratiæ, naturalis vero est ab eodem, ut auctore naturæ. Et ex discursu eius constat non amplius intendere, sic enim in principio ait, Si dixerimus nullam esse efficientem causam, etiam voluntati bonæ, cavendum est, ne voluntas bona bonorum Angelorum, non facta, sed Deo coeterna esse crederetur. Cum enim illi facti sunt, quo modo illa non esse facta dicitur? Quæ ratio solum probat voluntatem bonam habere Deum factorem, vel vt naturæ auctorem, vel vt gratiæ cum partitione a commoda. Vnde quod inferius ait, Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores à seipsis, quam ab ipso facti sunt? absit. Eisdem modis, scilicet, vel de bona voluntate charitatis, quæ sola facit personam meliorem, seu simpliciter bonam, vel cum dicta partitione a commoda intelligendum est. Et potest optime, nam solum concludit: Perfectio, & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio creatoris habere non possent. Postea vero in reliqua parte capitis incidenter loquitur de dilectione charitatis, & gratiæ, vt postea lib. 5. latius videbimus.

tra, videtur etiam loqui de illis, prout fuerunt in statu creationis, seu viæ, quo modo etiam loquitur Angelus. Nos vero nunc ab omnibus his statibus abstrahimus, & de illis aliquid dicemus in lib. 5. & sequentibus. Nunc vero loquimur de Angelo in pura natura spectato, & videntis sua libertate mere naturali cum generali influenza Dei. Et sic distinguimus duos modos peccandi venialiter, scilicet ex imperfecta deliberatione, seu per surreptionem, & ex levitate materiæ, vel obiecti cum perfecta deliberatione, & cognitione.

non est pro instituto huius capituli.

Notatio pro resolutione.

3. Prima conclusio probatur contra quosdam.

Indeliberatio in homine vnde oritur.

CAPUT VIII.

Verum Angelus in pura natura existens venialiter peccare possit.

1. Circa resolutionem precedentis capitis, duo gratia dubia occurrunt, quæ in lib. 5. & 7. necessario sunt ex professo tractanda in ordine ad statum, in quo Angeli creati sunt: non tamen possunt in præfenti omnino omitti in ordine ad statum mere naturalis angelicæ naturæ: & ideo in hoc, & sequenti capite breuiter expediuntur, quantum hic locus postulat, reliqua in prædictum locum remittendo. Primum est, an indifferentia ad eligendum bonum, vel malum, quam habet Angelus in pura sua natura spectatus, eandem habeat, ad eligendum inter magis, & minus bonum, & intergrate, ac leue malum. Et quidem in bonis nulla occurrit dubitandi ratio, quia minus bonum, minus distat à bono meliori, quam malum à bono distat. Ergo si Angelus est liber ad eligendum id, quod est malum simpliciter, relicto bono, multo magis in electione minoris boni eandem libertatem habebit. Et ex generali ratione libertatis id est evidens. Vnde etiam Deo suo modo libera est electio inter inæqualia bona, licet malum simpliciter velle non possit. In malis autem inæqualibus occurrit specialis difficultas, quia si Angelus posset eligere minus malum, posset etiam venialiter peccare, volendo, scilicet, rem turpem in leui materia, vt mentiri, loqui ociose, vel quid simile. Quæ difficultas petit questionem, quam tractat D. Thomas in 2. q. 89. a. 4. an Angelus possit venialiter peccare: ubi ipse defendit non posse. Et rationem reddit, quia Angelus non fertur ad ea, quæ sunt propter finem vltimum, nisi actu ea intendendo propter vltimum finem. Vnde si vltimus finis bonus sit, Angelus non errabit in medio, & ita nihil peccabit, si vero vltimus finis sit malus, actus erit peccatum morale ex intentione finis, etiam si fortasse obiectum proximum, seu materia eius sit leuis. Et hanc sententiam defendunt Thomistæ communiter, & videntur loqui de Angelo in omni statu. Et idem docuit Alenf. 2. p. q. 98. in. 4. art. 3. Verum tamen D. Thomas aperte loquitur de Angelis bonis, & malis prout nunc sunt in statibus beatitudinis, & damnationis. Et in argumento sed contra Suarez de Angelis.

Angelus potest eligere minus bonum.

Difficultas huius capituli.

Responsio D. Thomæ ex sententia quorundam.

2. Verum tamen D. Thomas aperte loquitur de Angelis bonis, & malis prout nunc sunt in statibus beatitudinis, & damnationis.

Dicimus ergo primo Angelum non esse capacem venialis peccati ex surreptione, seu indeliberatione. Non desunt moderni, qui hoc in dubium reuocent: sed mihi videtur certum cum alijs melius sentientibus. Ratio est, quia intellectus angelicus non potest ab obiectis immutari, & ad cogitationem aliquam necessitari, ergo non potest in intellectu Angeli excitari cognitio surreptitia, ergo nec in eius voluntate potest insurgere surreptitius motus, quia hic non oritur nisi ex cogitatione præuia non volita. Vnde in nobis motus surreptitiæ voluntatis ortum habet à sensibus, qui media phantasia excitant intellectum ad cogitandum aliquid, quod voluntatem subito mouet, priusquam deliberare possit, vel rationem ad hoc applicare. Angelus autem non ita procedit, sed habet naturalem cognitionem sui, suarumque specierum, à qua cogitatione naturali, immediate non mouetur voluntas nisi ad amorem sui honestum, & rationi consentaneum. Ad cogitandum vero de alijs obiectis voluntas plena libertate applicat intellectum, ideoque cum eadem plena libertate vult, vel non vult, quidquid postea intellectus cogitando repræsentat. Non est ergo ibi locus surreptioni. Præsertim quia non indiget Angelus tempore, vt perfecte cogitet, quando per voluntatem applicatur: at vero in nobis motus voluntatis non est indeliberatus, id est, imperfecte liber, nisi quando perfecta cogitatio, & animaduersio non est in nostra potestate, cum ergo in Angelis non sit hæc impotentia, non possunt propter indeliberationem à graui culpa excusari, si alioqui ex obiecto, & materia peccatum graue sit.

Solum posset instari: quia licet hæc ratio procedat, quando Angelus tantum ab intrinseco (vt sic dicam) se applicat ad cogitandum, tamen interdum applicatur per locutionem alterius, & tunc non videtur procedere eadem ratio, quia vnus Angelus præuenitur, & excitatur ab alio per locutionem: ergo in naturalibus tantum rem considerando, potest vnus Angelus tentare alium, & suasionem illam excitare, ergo hoc modo non repugnabit esse in Angelo motum aliquem prauum per surreptionem, & priusquam perfecte deliberare possit. Et confirmatur, quia videtur hoc posse contingere, non solum per suggestionem, & suasionem directam ad malum, sed etiam per occasionem tantum, supposita locutione, de re non mala. Vt si vnus Angelus loquatur alteri de re bona, vel indifferente, & in audiente suboritur suspitio, quod loquens mentitur, & quod se velit seducere, aut ad malum inducere: vel si insurgat aliquis motus odij, vel quid simile. Item hoc modo cum Angelis proponatur fides, poterunt in illis oriri motus subitii contra fidem.

Respondetur nihilominus, etiam hoc modo non posse esse in Angelis motus surreptitios. Nam, vt supra dixi, per locutionem solum mouetur, & necessitatur Angelus, vt species ab altero impressas in se videat, quæ cogitatio non est proprie surreptitia, quia non est capax libertatis, sed est mere naturalis, & in suo ordine est perfecta, & qualis esse debet. Vnde non mouet voluntatem, aliquam necessitatem illi imponendo, sed in libera, ac plena potestate volun-

4. Instantiæ contra probationem conclusiouis.

Eiusdem confirmatio.

5. Respondetur ad proximam instantiam.

